

dicendus erit adoptatus, et filius adoptivus, cum sit suppositum. Quod si dicat, respectu Christi ut hominis illam ordinationem ad vitam non esse adoptionem, quia non est ex mera gratia et benevolentia extrinseca, sed quodammodo ab intrinseco ex debito propriae personae, contra hoc est, quia eadem ratio de humanitate procedit, quia non est per se primo ordinata ad vitam, sed ad esse personale Filii Dei, ex quo consecutum est debitum habendi beatitudinem, et ordinatio in illam ratione talis debiti; ergo non magis potest illa ordinatio habere rationem adoptionis respectu humanitatis, quam respectu Christi ut hominis. Superest ut ultimum membrum probemus, scilicet, non posse humanitatem dici adoptatam ad gratiam unionis. Et quidem, si in rigore sistamus in illa forma loquendi, cum per adoptionem acquiratur jus filii ad hereditatem ad quam quis adoptatur, non poterit dici humanitas adoptari ad unionem, quia nullam priorem gratiam recipit, qua jus, vel proportionem, aut dispositionem aliquam ad talem unionem acquirat. Sed non est necesse in hac forma loquendi vim facere, nam dici facile potest sufficere extrinsecam Dei ordinationem, qua illa humanitas gratis dilecta seu acceptata est, ut a primo instante suae conceptionis Verbo uniretur, sicut humana adoptio fit per solam extrinsecam ordinationem et acceptationem. Vel dici etiam potest illam locutionem esse intransitive sumendam, et ad modum causae et effectus formalis, ita ut dicatur humanitas adoptata ad esse personale Filii Dei per gratiam unionis tanquam per formale vinculum, quo ipsa unitur Dei Filio. Ad rem ergo, omisso loquendi modo, unionem illam neque esse adoptionem, neque ex adoptione, probari potest hoc modo: quia adoptio solo affectu conjungit adoptatum adoptanti; sed unio illa non conjungit humanitatem Verbo solo affectu, sed re ipsa; ergo illa non est adoptio. Minor de fide certa est, ut patet ex dictis supra, q. 2, ubi ostendimus esse unitam substantialiter Verbo. Major probatur ex conditionibus et natura adoptionis supra explicatis; ex quibus constat adoptionem esse mere gratuitam ex benevolentia adoptantis. Unde in dicto Concilio Francoford., in lib. Sacrosyllabo, col. 7, adnotat Paulinus, hoc ipsum indicari in ipso nomine adoptionis: *Nam adoptio, inquit, ex affectione ducit vocabuli sui originem*, quia is, qui adoptat, quasi optans habere filium, cum proprium et naturalem non habeat, ex af-

fectu et benevolentia acceptat alienum, suumque facit, non re, sed affectione tantum. Unde in epistola ejusdem Concilii ad Episcopos Hispaniae, versus finem: *Quid est, dicitur, adoptio, nisi charitatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet?*

5. Sed haec ratio, licet respectu personae Christi ut subsistenti in humanitate, eo sensu quo de illa loquitur Concilium Francoford., sit efficax, quia filiatio Christi nullo modo manat ex dilectione, non enim est Filius quia dilectus, sed potius dilectus quia Filius, quo modo intelligitur illud, *Hic est Filius meus dilectus*, ut sequenti tomo latius declarabo, nihilominus respectu humanitatis non apparet efficax ratio, neque ex firmo principio procedens, nisi recte exponatur, aliquidque ei addatur. Declaratur, quia, licet sit verum adoptionem oriri non ex natura, sed ex benevolentia et affectu, non tamen est verum sistere in sola benevolentia et affectu, nam potest efficere realem unionem, seu ad illam terminari. Quamvis enim humana adoptio voluntate fiat, et sola extrinseca illius denominatione consummetur, quia imperfecta est, tamen adoptio divina non consistit solum in extrinseca benevolentia et acceptatione Dei, sed facit realem mutationem in adoptato, illique communicat suam naturam et divinitatem secundum intrinsecam quamdam ejus participationem, juxta illud: *Magna et pretiosa nobis promissa donavit, ut divinae efficiamur consortes naturae*. Per hanc autem participationem naturae divinae non solum affectu conjungimur Deo, sed re ipsa efficiamur illi similes, nec solum extrinsece ordinamur ad hereditatem Dei, sed intrinsece habemus naturam, cui illa hereditas debetur; ergo divina adoptio, licet ex affectu et benevolentia Dei gratuita oriatur, tamen non est sola denominatio ab illa, sed est vera et realis assimilatio, seu conjunctio adoptati ad adoptantem; ergo ex hac parte non repugnat humanitatem Christi esse adoptatam, quia ex solo affectu et gratuita benevolentia Dei ordinata fuit ad unionem, quamvis ille affectus terminatus fuerit ad realem immutationem, veramque unionem cum Filio Dei.

6. Hoc autem constituto, explicandum superest, si realis infusio gratiae creatae est adoptio, cur etiam realis unio naturae creatae non sit adoptio. Sicut enim infusio gratiae est supra naturam personae creatae, ita et haec unio est supra naturam humanitatis; et sicut illa infusio ex benevolentia fit ad personam ex se

extraneam respectu gratiae, ita haec unio ex benevolentia fit in humanitate ex se extranea respectu talis unionis; et sicut, facta hac unione, ex vi ejus talis natura deificata manet, illique propter eam causam debetur hereditas, ita, facta gratiae infusione, ex vi ejus homo manet sanctificatus, ei que debetur hereditas intrinseco connaturalitatis debito; ergo ex illa ratione non potest colligi sufficiens differentia, ob quam humanitatis assumptio non sit adoptio. Addendum ergo est, esto verum sit has omnes similitudines versari inter gratiam unionis et infusionem gratiae creatae, nihilominus tamen magnam quamdam differentiam inter has gratias intercedere, ratione cujus una est gratia adoptionis, et non alia. Quo etiam fit ut, licet omnis adoptio divina sit gratia ex gratuita Dei benevolentia proveniens, non tamen e converso omnis gratia communicata ex gratuita benevolentia Dei sit adoptio. Differentia autem inter has gratias est, quia una est gratia accidentaliter, altera substantialiter; una creata, altera increata; una per communicationem cujusdam participationis divini esse, altera per communicationem veram et realem ipsiusmet divinae personae.

7. *Unionis gratia quare non sit adoptio.* — Ex hac autem differentia, quae satis nota est ex superioribus, optime colligitur ratio cur, licet gratia habitualis sit gratia adoptionis, non tamen gratia unionis; nam adoptio non facit substantialem unionem inter adoptatum et adoptantem, sed accidentalem tantum; gratia autem unionis facit substantialem unionem; non est ergo adoptio, sed aliquid majus adoptione. Vel aliter, per adoptionem non communicat adoptans adoptato suum proprium naturale esse, quod in se habet; per gratiam autem unionis communicat Deus naturam assumptam suum proprium esse personale; ergo. Item aliter declaratur, nam inter homines pater non adoptat suum filium naturalem, etiam si ex amore et desiderio illius eum generet, quia communicat illi suamet naturam, quamvis non eandem numero, sed eandem specie communicet; ergo, si, per impossibile, posset ex affectu communicare naturam alterius a se non geniti suamet personam eandem numero, non posset dici adoptare illam naturam, sed altiori quodam vinculo illam facere suam, et quodammodo magis sibi conjunctam quam sit filius naturalis suo patri, quando solum est inter eos identitas specifica. Praeterea declaratur aliter,

nam, si quis posset sua efficaci voluntate et affectu alienam substantiam suo corpori substantialiter unire, non diceretur adoptare illam, quia illud vinculum multo est altioris ordinis et rationis; sed similiter per hanc unionem magis unitur humanitas ipsi Deo, quam pars corporis ipsi toti uniatur; et similiter, si anima posset efficacia suae voluntatis unire sibi corpus, et media ea unione illud facere consors suarum operationum, non diceretur illud adoptare. Denique per solam adoptionem non communicatur filiatio naturalis; per hanc vero unionem communicatur ipsamet filiatio naturalis Dei per se ipsam, et non tantum per aliquam sui participationem; ergo illa unio non potest dici adoptio. Unde hic etiam accommodari potest ratio, quam hic D. Thomas tetigit, quod adoptio dicitur habitudinem ad filiationem participatam; haec autem unio non dicit talem habitudinem, sed potius ad ipsam filiationem naturalem, cui substantialiter copulat naturam assumptam. Potest etiam ad hoc revocari illa ratio, quod adoptio ex sua ratione postulat versari circa personam, et non circa naturam tantum; haec autem gratia unionis versatur circa naturam, et proprie fit naturae, non personae, ut in superioribus ostensum est. Major probari potest (praeter supra dicta contra Gabrielem), quia adoptio, ut dixi, solum facit accidentalem unionem, inter adoptatum et adoptantem, et ideo supponit inter eos personalem distinctionem, et versatur circa personam.

8. Ob has ergo causas merito distinguitur gratia unionis a gratia adoptionis, ut eleganter tetigit D. Thomas hic, art. 4, praesertim in solutione ad secundum, ubi unico fere verbo attingit totam hanc doctrinam, scilicet, quod gratia unionis et habitualis conveniunt in principio, scilicet, quia sunt ex affectu gratuito Dei; differunt autem in termino, quia per unam confertur filiatio naturalis, et ipsa esse personale Dei, per aliam vero tantum quaedam illius participatio. Et eandem tetigit ex Scholasticis antiquioribus Albertus Magnus, in 3, d. 10, art. 13, ubi recte notat, dupliciter contingere habere filiationem per se seu naturalem: uno modo per actum naturae, quo modo Filius aeternus habet a Patre; alio modo (inquit), *per identitatem et per unionem ad illum qui per naturam habet*; et hoc posteriori modo ait communicari humanitati filiationem divinam per gratiam unionis, et ideo non esse adoptionem, sed longe superiorem gratiam. Et ex modernis eandem differentiam

tetigit Palacios, in 3, d. 10, disp. unica, dubio 1, ubi ait, Christi humanitatem non esse adoptatam, quia non habet esse participatum, sed ipsum esse personale Dei; eamque differentiam significavit Augustinus, lib. de Trin. et unit. Dei, c. 11, t. 4, dicens: *Sunt isti filii gratia, ille natura, quia in istis participatio divinitatis, in illo plenitudo*; quamvis enim eo loco, de Filio secundum divinitatem loquatur, potest tamen ex illis verbis sumi non leve argumentum a simili. Denique hanc ipsam differentiam indicavit sæpe Concilium Francof. in verbis in principio citatis in ratione dubitandi, et in multis aliis quæ occurrunt facile attente legenti.

9. *Instantia.*—Sed instabit aliquis, nam si rationes factæ efficaciter probant gratiam unionis non esse adoptionem, propter eam excellentiam in qua superet gratiam habitualem, similibus rationibus probari poterit, infusionem gratiæ habitualis non esse adoptionem proprie et in rigore, sed aliquid majus adoptione propter excellentiam in qua superat humanam adoptionem. Primum enim humana adoptio, ut dicebamus, in solo affectu et benevolentia adoptantis consistit, et in illa et per illam formaliter perficitur, quia nullo modo est generatio, nec realis communicatio naturæ adoptantis respectu adoptati, et ideo etiam a jurisperitis existimatur tanquam quædam fictio juris, quia per illam habetur ut filius, qui revera filius non est; at vero justificatio non est solus affectus extrinsecus Dei, quamvis ab illo procedat; sed est quædam divina generatio vera, realis ac physica, quamvis accidentalis; et per eam Deus communicat suam naturam, licet non ad æqualitatem, sed secundum quamdam participationem. Addi etiam potest, per hanc actionem non solum communicare Deum sua bona creata, sed etiam se ipsum, vel quatenus justis datur ipsamet persona Spiritus Sancti speciali modo, vel quatenus ipsamet essentia divina unitur beatis in patria. In quibus omnibus multum superat justificatio hæc filiorum Dei adoptionem humanam, et longe alterius rationis est; ergo, vel ob hanc causam negandum est illam esse propriam et formalem adoptionem, sed aliquid eminentius; vel si, hac differentia non obstante, dicitur justificatio manere intra rationem adoptionis, quia non pervenit ad excellentiam veræ et naturalis generationis Filii Dei, licet sit quædam excellentior adoptio, eadem ratione dicitur gratia unionis esse

quædam altior et eminentior adoptio, quam sit non solum humana, sed etiam divina per gratiam creatam, non transcendere vero rationem adoptionis, quia etiam non pertingit ad perfectionem propriæ et naturalis generationis Filii Dei, neque confert jus ad beatitudinem per essentiam, sed solum ad participationem ejus.

10. *Reprobatur.*—Respondetur hoc argumento moveri potuisse, qui gratiam unionis, adoptionem appellarunt, quod lato et improprio modo dictum esse, etiam Gabriel ipse confessus est. Nos vero negamus proportionem et paritatem rationis, nam in justificatione servatur proprie ac formaliter id quod est de ratione adoptionis, nempe quod sit gratuita quædam assumptio seu acceptatio ad hæreditatem personæ extraneæ concessa, id est, quæ ex se nullum jus ad talem hæreditatem habebat; quæ omnia formaliter reperiuntur in puræ creaturæ rationalis justificatione. Quod autem in illa intercedat infusio supernaturalium donorum, et participatio quædam intrinseca naturæ Dei adoptantis, provenit ex duplici notanda differentia inter adoptionem humanam et divinam. Prior est ex parte adoptantis, nam homo adoptans habet inefficacem voluntatem ad hoc, ut suo amore ac benevolentia intrinsece immutet ac perficiat eum, quem adoptat. Dei autem adoptantis voluntas est potentissima, ut constituat objectum suo amori proportionatum, et ut intrinsece perficiat eum quem singulariter diligit, dum eum adoptat. Posterior vero differentia declarat necessitatem hujus immutationis ex parte hominis adoptati. Nam in humana adoptione supponitur perfecta similitudo in natura inter adoptantem et adoptatum, solumque deest naturalis origo unius ab alio; hæreditas etiam, ad quam homo adoptatur, est ejusdem ordinis (ut sic dicam), nam ad similem hæreditatem potest homo habere naturale jus, quod deest homini qui adoptatur, non ob excellentiam hæreditatis, neque ex defectu perfectionis ipsius hominis, sed tantum ex defectu originis; at vero secus est in divina adoptione, nam inter hominem qui adoptatur, et Deum qui adoptat, supponitur quidem origo, non tamen perfecta similitudo in natura, sed solum secundum quamdam analogam convenientiam in gradu intellectuali. Hæreditas etiam illa, ad quam homo a Deo adoptatur, est superioris ordinis, et non est connaturalis ipsi homini, non tantum ex defectu originis, sed etiam ob excel-

lentiam ipsius hæreditatis, et imperfectionem ipsius hominis. Unde ad naturalem beatitudinem homo non adoptatur, sed habet ad illam naturale jus, tam ex vi suæ perfectionis, quam ex vi suæ originis, secundum quam rationem non dicitur filius adoptivus, sed vel non attingit rationem filii, quia illa beatitudo naturalis non est proprie divina hæreditas, vel imperfectissimo modo dicitur filius naturalis per creationem; ob hanc ergo causam, necessarium fuit divinam adoptionem fieri per participationem quamdam divinæ naturæ filii adoptivi infusam, ut per eam similitudo in natura, quæ deerat, perficeretur, quoad fieri posset, inter creaturam et Deum, saltem in eo gradu in quo pertingere posset creatura ad fruendum Deo in se ipso, in quo maxime divina hæreditas et beatitudo posita est. Quia vero hæc participata similitudo, et hæreditas illi respondens, quamvis fiat per dona intrinseca infusa, semper est supra debitum personæ creatæ cui conceditur, et non efficit cum Deo substantialem unionem, sed accidentalem, ideo non transcendit rationem adoptionis, sed perfectiorem quamdam illius speciem et rationem sortitur. Et hac etiam ratione, dicitur hæc adoptio consistere aut perfici unionem secundum affectum, non quia excludat realem participationem naturæ Dei adoptantis, sed quia tota illa ordinatur, ut possit homo esse proportionatus ad fruendum Deo, et ad contrahendum cum ipso proprium et perfectum vinculum amicitiae, et fieri unus spiritus cum ipso secundum affectum. At vero longe alia est excellentia unionis hypostaticæ, quæ non fit per unionem accidentalem, nec per participationem tantum, sed per communicationem ipsiusmet personæ divinæ; et ideo nullam habet formalem similitudinem vel convenientiam cum adoptione, sed est gratia omnino alterius ordinis, ut declaratum est.

11. *Illatio.*—Ex his infero, et dico secundo, hanc propositionem: Humanitas non est adoptata, in quodam sensu esse de fide; simpliciter tamen, et in omni sensu, non esse de fide, quamvis jam satis certa esse videatur. Declaro singula: nam si adoptio proprie sumatur pro unionem cum Deo per accidentalem gratiam, et sensus sit exclusivus, humanitatem scilicet Christi ita fuisse adoptatam, ut non habeat cum Deo aliud majus vinculum, sic est hæreticum tribuere adoptionem humanitati Christi, quomodo de adoptione ejus locutus est Nestorius, et (ut ego existimo) Felix et Elipandus. Si autem vel sensus non

sit exclusivus, sed tantum indefinitus, vel certe si quis mordicus contendat, adoptionis vocabulum et rationem posse extendi ad omnem donum gratiæ liberaliter communicatum, ad quod, jus ad participatam beatitudinem consequatur, sic non pertinet ad materiam fidei, neque est hæreticum adoptionem tribuere humanitati Christi, etiam si falsum sit. Primo quidem, quia illi humanitati data est gratia habitualis simul cum gratia unionis, et adhuc sub opinione positum est, an prius natura data fuerit gratia habitualis quam unionis; ergo, qui utramque gratiam admiserit in humanitate Christi, non erit hæreticus, etiamsi dicat esse adoptatam per gratiam habitualem, licet simul habuerit aliud majus vinculum cum Deo, quia nulli principio fidei repugnabit; ergo simpliciter appellare eam adoptatam propter dictum sensum, non est hæresis; quia illa verba non præ se ferunt exclusivum sensum, sed indefinitum tantum.

12. Quod si quis dicat, adoptionem in sua proprietate includere negationem ætioris vinculi et substantialis unionis, respondetur, propterea illum sensum esse falsum, non tamen esse hæreticum, quia illud principium nec definitum de fide est, neque est tam evidens, ut sufficiat ad certam fidem faciendam. Secundo ob eandem causam, si quis voeet humanitatem adoptatam propter ipsammet gratiam unionis, non quidem existimans gratiam unionis non esse alioris rationis, aut non facere majus vinculum cum Deo, quam gratiam habitualem, sed existimans convenire has duas gratias in ratione divini doni gratuiti, ad quod consequitur jus ad participationem hæreditatis æternæ, et nomen adoptionis convenire huic rationi communi, et omnibus sub illa contentis, non est cur in eo sensu hæreticus censeatur; et ideo, licet impropria sit locutio, ut hic dixit D. Thomas ad 1, et falsa, ut discursus a nobis factus ostendit, non tamen est hæretica, quia neque proxime repugnat alicui principio fidei, neque mediante aliquo principio evidente, ut objectiones in contrarium factæ satis declarant; nec denique est in se ipsa formaliter damnata, aut contraria definita in aliquo Concilio; maxime enim in Francofordiensi; sed in eo non, ut ex his, quæ de illius sensu supra diximus, constare potest, et in solutionibus argumentorum breviter iterum attingemus.

13. *Rationi dubitandi satisfi.*—Ad rationem ergo dubitandi in principio positam negatur consequentia, quia non omnis gratia

gratuito collata habere potest rationem adoptionis, eque natura ut natura adoptari potest; non quia non possit gratis diligi, et ordine naturæ præexistere et extranea esse; sed quia natura ut sic non potest nisi ad substantialem unionem assumi, nam alias supponeretur subsistens in propria persona, et ita jam non naturæ, sed personæ fieret gratia. Ad Hilarium respondet D. Thomas, et communiter Scholastici, improprie vocasse adoptionem carnis gratiam unionis. Alexander autem Alens., 3 p., q. 10, memb. 4, ait id dictum esse propter humanitatem in specie consideratam, non in individuo prout est in Christo; quod posset intelligi ad eum modum quo Paulus ait, nos consurrexisse in Christo, et consedissee in cœlestibus. Sed hoc non solum est improprium, verum etiam omnino contra mentem Hilarii. Alii conjectant mendosam esse litteram Hilarii; et ubi legitur, *adoptatur*, legendum esse, *adoratur*. Dixerat enim paulo ante: *Adsuat Magi, involutum pannis adorant; per Magos cunarum sordes adorantur, vagitus per Angelorum divina gaudia honorantur*. Et infra: *Aliud intelligitur, aliud videtur, infans vagit, laudantes Angeli audiuntur, panni sordent, Deus adoratur, ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur*; sic enim optime quadrat ratio; ostendit enim majestatem Christi non esse imminutam inter vagitus, etc., quandoquidem in ipsis adoratur. Et hæc lectio habetur in editione Parisiensi anni 1544. Juxta quam lectionem, illa particula, *dum carnis humilitas adoratur*, non est causaliter sumenda; dignitas enim Verbi sub carne latentis non ideo amissa non est quia adoratur, sed ideo adoratur quia amissa non est; non potest ergo illa particula reddere causam, sed signum, ut sensus sit, *dum adoratur*, id est, siquidem adoratur. Et solum videri potest durum in hac lectione, quia illa particula in communi usu, et latina proprietate non videtur illam significationem habere; est tamen nihilominus probabilis lectio et responsio. Sed non est alia contemnenda, quam habent recentiores codices, eamque esse antiquam et communem, constat ex D. Thoma et Scholasticis. Et potest reddere satis germanum sensum. Docet enim eo loco Hilarius, Verbi majestatem non fuisse imminutam ob assumptionem nostræ naturæ, idque concludit ex his quæ in Christi nativitate acciderunt; nam infantulus in præsepe positus ab Angelis prædicatur et laudatur, adoratur a Magis. Unde concludit, ex humilitate carnis Verbo

conjunctæ non fuisse Verbi majestatem et potentiam amissam; et hoc est, quod ait: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum*, id est, quando, seu ex eo quod, *carnis humilitas adoptatur*, id est, assumitur. Hæc ergo verba Hilarii juxta hanc lectionem, et alia Marii Victorini declarant quod diximus, habere gratiam unionis respectu humanitatis aliquas proprietates et conditiones, in quibus cum adoptione convenit, ratione quarum per translationem et metaphoram solet interdum adoptio vocari; præsertim ad significandum, humanitatem gratis esse amatam et assumptam e Verbo; in qua metaphora in eo sensu sumpta nullus est error; sed nobis cavenda est, tum quia, ut ostendimus, vere et proprie illa non est adoptio; tum etiam quia metaphora illa rarissime est usitata, et potest esse occasio erroris. Et hoc solum probat testimonium Concilii Francoford., ibi in contrarium citatum; distinguitur enim assumptio ab adoptione proprie sumpta, de qua hæretici loquebantur, contra quos Concilium illud loquitur, ut in superioribus visum est.

QUÆSTIO XXIV.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de prædestinatione Christi. Et circa hoc quærentur quatuor.

Primo, utrum Christus sit prædestinatus.

Secundo, utrum sit prædestinatus secundum quod homo.

Tertio, utrum ejus prædestinatio sit exemplar nostræ prædestinationis.

Quarto, utrum sit causa prædestinationis nostræ.

Supponenda sunt hoc loco, quæ de prædestinatione in communi, 1 p., q. 23, doceri solent, et abstinendo ab aliis opinionibus, certum est prædestinationem vel supponere, vel includere actum intellectus et voluntatis; supponit enim voluntatem efficacem Dei, et dicit rationem mediorum per quæ voluntas illa implenda est. Unde quia voluntas est quasi radix totius prædestinationis, de illa semper loquemur, et in ea explicabimus doctrinam hanc de prædestinatione Christi.

ARTICULUS I.

Utrum Christo conveniat prædestinatum esse¹.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christo non conveniat prædestinatum esse. Terminus enim prædestinationis videtur esse adoptio filiorum, secundum illud Ephes. 1: Prædestinavit nos in adoptionem filiorum. Sed Christo non convenit esse filium adoptivum, ut dictum est². Ergo Christo non convenit prædestinatum esse.

2. Præterea, in Christo duo est considerare, scilicet naturam humanam et personam. Sed non potest dici quod Christus sit prædestinatus ratione humanæ naturæ, quia hæc est falsa: Humana natura est Filius Dei. Similiter etiam neque ratione personæ, quia illa persona non habet ex gratia quod sit Filius Dei, sed ex natura; prædestinatio autem est eorum quæ sunt ex gratia, ut in 1 parte dictum est³. Ergo Christus non est prædestinatus Filius Dei.

3. Præterea, sicut illud quod est factum non semper fuit, ita et illud quod est prædestinatum; eo quod prædestinatio antecessorem quandam importat. Sed quia Christus semper fuit Deus et Filius Dei, non proprie dicitur quod homo ille sit factus Filius Dei. Ergo pari ratione non debet dici quod Christus prædestinatus sit Filius Dei.

Sed contra est quod Apostolus dicit, Rom. 1, de Christo loquens: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.

Respondeo dicendum quod, sicut patet ex his quæ in prima parte dicta sunt⁴, prædestinatio proprie accepta est quædam divina præordinatio ab æterno de his quæ per gratiam Dei sunt facienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus, et Deus esset homo. Nec potest dici quod Deus ab æterno non præordinaverit hoc se facturum in tempore; quia sequeretur quod divinæ menti aliquid de novo accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat

¹ 1, d. 40, q. 2, corp., fin., et ad 5; et 3, d. 7, q. 3, art. 2, q. 2, et q. 3 et 4; cont., cap. 9, et Rom. 1, lect. 3.

² Q. præced., art. 4.

³ Q. 23, art. 5.

⁴ Q. 23, art. 1 et 4.

sub æterna Dei prædestinatione, et ratione hujus Christus dicitur esse prædestinatus.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus ibi loquitur de prædestinatione, qua nos prædestinamur, ut simus filii adoptivi. Sicut autem Christus singulari modo præ aliis est Dei Filius naturalis, ita quodam singulari modo est prædestinatus.

Ad secundum dicendum, quod sicut dicitur in Glossa¹, Rom. 1, quidam dixerunt prædestinationem intelligendam esse de natura, non de persona; quia, scilicet, humanæ naturæ facta est hæc gratia, ut uniretur Filio Dei in unitate personæ. Sed secundum hoc, locutio Apostoli est impropria propter duo. Primo quidem ratione communi. Non enim dicimus naturam alicujus prædestinari, sed ipsum suppositum; quia prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. Secundo, ratione speciali, quia esse Filium Dei non convenit humanæ naturæ; est enim hæc falsa: Humana natura est Filius Dei; nisi forte quis velit sic exponere extorta expositione: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, id est, prædestinatum est, ut humana natura uniretur Filio Dei in persona. Relinquitur ergo quod prædestinatio attribuitur personæ Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Unde, cum dixisset Apostolus: Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, subjunxit: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, ut daret intelligere, quod, secundum hoc quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute. Quamvis enim sit naturale illi personæ secundum se considerata, quod sit Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis.

Ad tertium dicendum, quod Origenes, super Epist. ad Roman. 2, dicit hanc esse litteram Apost.: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, ita quod non designetur aliqua antecessio; et sic nihil habet difficultatis. Alii vero antecessorem, quæ designatur in hoc participio, prædestinatus, referunt, non ad id quod est esse Filium Dei, sed ad ejus manifestationem, secundum illum consuetum modum loquendi in Scripturis, quo res dicuntur fieri,

¹ Glos. ord., super illud: Qui prædestinatus est Filius Dei.

C. 1, super illud verbum Paul., tom. 3,